

Samelbd.

0/0

die,

60
PRAECEPTOR
SOCRATICVS.

PROLVSIO

QVA

AD SOLEMNEM IV. IUVENVM IN DICENDO
EXERCITATIONEM BENIVOLE AVDIENDAM

HYMANISSIME INVITAT

CAROLVS HENRICVS SINTENIS

LYCEI TORGAVIENSIS RECTOR.



LIPSIÆ,

EXCVDEBAT FRIDER. GOTTH. IACOBÆER,

MDCCLXXVII.

33

PRÆFECTOR
SOCIETATIS

SCIENTIARUM

AD PROMOVENDUM IN VITAM IN DICENDO
ET CREANDUM SENIUS VANDERAM

CAROLVS HENRIQVS SINTENIS



LITTELLA

EXCELSIOR LIBER GOTTI LACERAT

MDCCCLXXIII





Doctrina, quam scholae magister, non e lulentis rinulis, sed e fontibus, non tam leuiter delibauit, quam penitus haufit, quaeque, si ad certas leges feure et exacte conformata est, accurata et exquisita dicitur, licet sola digna eruditionis nomine, docentibusque pariter, ac discipulis, utilis cenferi mereatur, per fe tamen considerata, cum feminibus est comparanda, quorum optima indoles a fertilitate agri fe adiuuatur, ut, quo peritior in hoc bene colendo fueris, eo uberiores fruges proferant. Quemadmodum igitur optimus non is est agricola, qui femina habet, quae terrae mandentur, naturae feraciffimae, fed, qui modum agri, lapidibus, urticis, fpinis, atque dumetis referti, proscindendi, eiusque fertilitatis emendandae tenet, fic quilibet rei scholasticae aequus aestimator mihi largietur, cum non esse optimum saluberrimumque iuuentutis inftituendae magistrum, qui accuratiffimam quidem, et late diffufam, atque patentem eruditionem sibi acquifuerit, qui uero rerum tractandarum, et ad captum intelligentiamque discipulorum accommodandarum, rationis expertus et peregrinus fit. Magnae, inmo maximae eruditionis copia, nifi bonae disciplinae adiumento nititur, inftitutioni scholasticae haud parua affert incommoda. Plurimi enim iuuenum rerum discendarum grauitatem atque utilitatem, non interiori illarum indole atque natura, fed facilitate et fua uitate, metiri folent, ut, cum in iudicando parum fint exercitati, quae minorem animi attentionem, minuique iudicii acumen requirant, eas multo maiori cupiditate arripiant, quam, quae fubtilitatem, ingenique alacritatem poffulent. Quae igitur, pro hac aetatis iuuenilis leuitate, cui tamen femper confulendum est, de tali scholae magistro spes concipi potest, qui tam profunda, ut loquuntur, eruditionis abundantia

dantia est instructus, ut in explicanda una voce *quindecim* locos, et Graecorum, et Romanorum, *calamo*, non *mente* discipulorum, excipiendos, recitet, ut in exponendo ritu quodam vetusto totum antiquitatis fontem exsorbeat, et omnium interpretum sententias, omniumque codicum varias lectiones fideli memoria recenscat, qui vero in interpretando, et in ordine quaestionum disponendo et dirigendo, tantae est tarditatis, tantae confusionis, tantaque obscuritatis, ut neque ullo perspicuitatis radio iuuenilis animi tenebras dissipare, neque ullo suauitatis condimento rei percipiendae difficultatem obducere, iucundiorumque reddere didicerit? hoc quidem efficiet, ut discipuli ipsum *Heraclitum*, aut *Salmasium*, omnia cum puluisculo corradentem, in suggestu scholastico audiant, nunquam vero id consequetur, in quo cardo totius institutionis vertitur, ut iuuenes, exquisita cognitione imbuti, ad ardentiorum literarum cupiditatem incendantur. Plurimum igitur, ac paene dixerim omnia, in fingendis puerorum atque iuuenum animis, valet ipsa docendi ratio, quam Graeci *μὲθ' ὁδοῦ* vocarunt. Sed, quid moror in iis, quibus nemo assensum denegat? sedulo potius inuestigandum est, quae sit optima, et reliquis omnibus praeferenda iuuenum formandorum ratio? garriant omnes recentioris aetatis scholarum *emendatores*, ne dicam *curriptores*, quicquid velint, me nunquam ad partes suas detrahent. Summi viri, qui in bonae institutionis scholasticae pretio ponendo, quo longius a *novissimis* educationis artificibus absunt, eo intelligentiores et aequiores iure putantur, mecum consentient, bonam disciplinam esse eam, quae *perspicuitate*, *brevitate*, atque *suauitate* gaudeat, et, licet omnes, qui nostra aetate iuuentutis erudiendae perniciosissima consilia dare sibi sumserint, de iisdem literarum, cum iuuentute tractandarum, rationis virtutibus glorientur, ego tamen laudem harum muneris scholastici dotium istis plane recusandam censeo. *Perspicuitas* enim sine accurata et diligente institutione cogitari nequit, imperfecta potius, perplexa, dubia, et incerta omnis est cognitio, quae nulla ratione, nulloque fundamento nititur. Quot difficultatibus irretitur iuuenis! quot dubitationibus distrahitur! quot curis angitur, nisi causas et leges intellexerit, quibus verum comprobetur illius, quod percipit! *Brevitas* porro, quae discipulum, omnibus ambagibus vitatis, proxime ad mentem ducit, quamque *Horatius* de arte poetica vers. 335. unicuique magistro commendat, dicens: *quicquid praecipies, esto brevis*, si magister, nimio eius studio incitatus, quae plurimum referebat nosse, praeteruehitur, ad perfectionum, quibus bonus scholae magister excellere debet, complexum re-

ferri

V

ferri nequit. Imprudentioribus, qui nimis citato cursu in literarum curriculo progredi cupiunt, placeat, mihi obscuritatis, non perspicuitatis, mater est, et fidelis doctoris officio repugnat. *Suauitas* denique, quae, ad augendam discendi cupiditatem, rebus docendis est adspargenda, quaeque ab exemplis, sermonis nouitate, collationibus cum rebus quotidianis, ab honestate quidem non remotis, animi tamen hilaritatem excitantibus, iocis, magistri dignitati nil detrahentibus, et salibus in perstringendis discipulorum moribus, petitur, neutiquam cum nugis et lusibus puerilibus, non tam risu, quam cachinno excipiendis, est permutanda. Quilibet igitur iuuentuti, in palaestra exercendae, operam studiumque aliquando daturus, (cum hoc enim solo mihi res est: qui iam funguntur muneribus scholasticis, his monitis non indigent,) omnem curam, omnemque industriam ad id conferat, ut *exquisita perspicuitate, iusta breuitate, auctoritatisque scholasticae conueniente suauitate*, bonae et utilis disciplinae laudem sibi comparet. Harum virtutum ope mirifice ad audiendum alliciet iuuenum animos, erectum retinebit discendi studium, maximoque cum fructu discipulorum docebit. At vero si quis dixerit: quid haec omnia? exemplum potius magistri, qui his disciplinae dotibus magnae praestantiae gloriam est consecutus, cuius vestigia premamus, proponas: sola haec descriptio multum obscuritatis adhuc habet, nonne tunc temporis mihi idem faciendum erit, quod *Zeuxis* apud *Crotoniatis* fecisse legitur? *Helenae* simulacrum picturus quinque virgines delegit, probatissimae pulchritudinis, non putans, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse, ideo, quod nihil in simplici genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit. Nonne igitur nominandi sunt nonnulli illorum Virorum, qui in tractandis ingentis versantur, ut, in describenda boni magistri imagine, ab illorum altero ea sumantur, quae alteri a natura non sunt concessa? minime. Nam vel nostra aetas, quam tamen aliqua inopia premere coepit, tantae adhuc praestantiae Viros habet, ut in unoquoque illorum omnes hae disciplinae scholasticae virtutes sint conspicuae. Sed, ne assentatiuncula quadam illorum gratiam aucupaturus videar, prodeat *Socrates*, Oraculi responso sapientissimus, cuius exemplum tam eximium, tamque egregium est, ut omnibus commendatione sit dignissimum. De hoc igitur in praesenti paucissimis agam. Ante omnia eius disciplinam uberiori descriptione diiudicationi subiiciam, deinde locis, e *Xenophonte* sumtis, hanc notionem collustrabo, et postremo denique praeclara huius influendi rationis commoda recensabo, ut appareat, hanc *SOCRATIS disciplinam in scholis esse optimam.*

Quod dum facio, rogo TE, Lector Humanissime, ut mihi, sicut huc usque fecisti, faueas, proluisionemque hanc benigne iudices.

SPARTIATES AGESILAVS, auctore CICERONE ad *Diu. V.* 12. est perhibendus, quod neque pictam, neque fidam imaginem suam esse passus est, XENOPHONTIS pictura contentus. Equidem, a XENOPHONTIS suauissima scribendi ratione longe remotus, non vereor, ne *Socrates*, in vitam si redeat, inique ferat, ipsius, scholae magistri, imaginem a me pictam proponi, et quamuis haec imago, quod unicuique difficili iudici multo facilior concedam, naturae non perfecte respondeat, tamen, quia vel *Phidiae* simulacris, ut *Cicero* in *Oratore* scribit, quibus nihil in illo genere perfectius viderunt veteres, cogitari possunt pulchriora, nemini, qui pulchriorem *Socratis* imaginem cogitari contenderit, succensebo. Quantum in viribus meis positum est, tantum conferam, ut admirandam huius philosophi disciplinam omni assiduitate, omnique fide descriptam censeas. *Socrates* probe animaduertat, iuuentutem in scholis publicis valde negligi, maxime in tractandis illis doctrinis, quae sola mente percipi possunt. Intellexerat, iuuenes, multis institutionis scholasticae annis frustra consumptis, nil, nisi verba, et nomina rerum, memoriae infixata tenere, ipsam vero rerum indolem atque naturam tam imperfecte, tamque infulse sibi imaginari, ut omnis illorum scientia erroris potius, quam verae et exquisitae cognitionis, nomine appellari mereatur. Quid? quod, verbo ut omnia dicam, *Socrates* experientia edoctus cognouerat, scholarum magistrorum memoriae tantum, atque imaginandi facultati, institutionis ope consulere, nullamque omnino operam dare, ut, mente a corruptelarum sordibus purgata, iuuenes rebus vere et accurate animo concipiendis, iudiciiisque studiose formandis apti atque idonei fingantur. Triflissimam sane et prorsus inutilem disciplinam! iuuenis nisi ea, quae didicerit, iudicare, examinare, explicare, cum aliis comparare, et exquisite et promte ab aliis distinguere potest, omnis eius cognitio bonum est peregrinum, cuius possessor non ipse, sed magister, est, quodque facillimo negotio ab unoquoque, cui non omnem ingenii vigorem natura denegauerit, subripi atque subduci potest. Quibus igitur remediis tam periculoso animorum iuuenilium morbo mederi conatus est *Socrates*? quo artificio tam absonae, tamque peruersae institutionis vitia detexit? quam saniorum salubrioremque disciplinam inueteratae isti iuuenum formandorum rationi proxime opposuit? *Xenophon*, *Socratis* discipulorum unus, isque

fide.

fidelissimus, omnium optime excellentem magistrum sui in instituendo ordinem nobis notio- rem reddere potuisset, sed praeceptoris perspicuitatem imitando consecutus non videtur. Dicit quidem lib. IV, cap. 6. Memor. Socr. dict. „cum „*disserendo institueret, a rebus incipiebat extra omnem dubitationem positus, „persuasus, in iisdem omne certum versari. hoc igitur in primis artificio, „quantum ego intelligo, auditores sic cepit, ut assensum suae institutioni „praeberent. dicebat enim, eadem de causa Homerum Ulyssi tantam nominis „gloriam concessisse, ut illum nominaret oratorem, qui omnes dicendo vin- „ceret, artis illius haud expertus, qua, e concessis ab omnibus, formetur insti- „tutio, nonne vero multa adhuc obscura, neque satis determinata, hac in descriptione reperiuntur? lector sciendi cupidus nonne mox interrogabit, quae illae res fuerint, quas Socrates contra omnem dubitationem vindicatas conferet? quo vinculo hae res, in nullam dubitationem vocandae, cum rebus tractandis fuerint constrictae? quae denique ratio discipulos Socratis impulerit, ut, concessis his rebus, unicuique obuiis, ipsi institutionis argu- mento assensum non recusarent? missum igitur iam faciam Xenophontem, donec ad alteram huius prolusionis partem progressus ero, ad interiorem Socraticae disciplinae, quae *inductio* dicitur, indolem, eiusque recessus reconditos, penetremus! A Cicerone lib. I. de Inuent. si discessero, *Quintilianum*, prudentissimum iuuentutis instituendae auctorem, omnium optime Socratis vestigia perquisiuisse, iudico, loco illo insigni, qui legitur Instit. Orat. V, 11. ita tamen, ut *Bruckero*, et *Moshemio* P. I. doctrinae morum theologiae, summis Viris, eorumque laudibus, nil detrahatur. Magna sane sollicitudo, magna- que assiduitate hi omnes laborarunt in eo, ut modum docendi *Socraticum*, e dialogorum eius ambagibus, in formam quandam redigerent. Hinc omnia, quae collegerunt, quantum fieri poterit, in usum meum sic confe- ram, ut absolutam praestantissimi huius scholarum magistri imaginem ex- pressisse censear. Principio obseruari meretur, Socratem magistrum partes non semper sustinuisse, ita, ut uno tenore, institutionisque serie non disrupta, doceret; saepissime discipuli, sciendi cupiditate flagrantissimi, personam tuitus est, partim, quia nihil ipse asserre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario approbare deberet, partim, quia nihil scire se dicebat, nisi id ipsum, eoque praestare ceteris, quod illi, quae nesciant, scire se putent. Hinc saepissime plane rudem atque inscium se simulabat, quos instituere volebat, iis magistri imponebat officium, ma- gnum*

gnum discendi ardorem profitebatur, sibi ut liceret, accuratiorem rei cognitionem ab illis, quibuscum dissereret, expectare, rogabat, nonnullas quaestiuunculas, quae minutae, et facili negotio soluendae erant, proferebat, neminem, qui illis non esset soluendis, obiurgabat, sed maxima animi aequitate et mansuetudine unicuique haesitanti auxilio praesto erat, et ex responsionibus, quas auditores dederant, nouas quaestiones eliciebat, ita tamen, ut celaret, illas responsiones fuisse falsas, donec eo peruenerat, ut auditores accurata et exquisita cognitione instructos, aut pudore suffusos, dimittere posset. In his igitur quaestionibus, quibus solis continebatur totum *Socratis* artificium, ut ipsa disciplinae eius indoles, eaque interior, lateat, necesse est. Contemplemur illas maiori animi attentione, et quidem hoc ordine, ut examinemus, quo consilio a *Socrate* sint propositae, quid proprii habuerint, et unde sint ortae? Finis, quem spectabat *Socrates*, certe hic erat, ut talium quaestionum ope non solum intelligeret, quid sentirent homines, quaque opinione tenerentur de illis rebus, quas praecipere volebat, sed etiam, ut inuestigatam illorum sententiam, siue falsam, siue imperfectam, emendaret, illaque emendata, cognitionem illarum rerum certiore accuratioremque redderet. Ad quem finem consequendum aptissimae sane erant quaestiones. Minuebant enim auditoribus operam atque laborem, in sententia integre et simpliciter indicanda, auferebant timorem ignorantiae, augebant fiduciam, in *Socratis* institutione ponendam, aperiebant errorum latebras, et in corrigendo reprehensionis grauitatem suauissime compensabant. Huic accedebat, quod his quaestionibus *Socraticis* tam praecipui, tamque singularis quid inerat, ut miram haberent efficaciam. Nam primum, *omnes erant eiusmodi, ut, illas concedi, necesse esset.* Hoc sane permultum ad persuasionem contulit. Ex quo enim postulabimus, nobis illud, quod dubium sit, concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Quis est, qui ex non concessis argumenta certa deducat? ne, ut *Dialectices* magistri loquuntur, adfit fallacia petitionis principii, opus est, ut ab omni dubitatione sint libera, quae argumentationis fundamenta constituant. Omnia igitur, quae *Socrates* inducebat, aut omni asseueratione erant affirmanda, aut neganda, nihil in illis erat incerti, nihil dubii, nihilque vexati, sed quilibet, sanae rationis usum tenens, statim, et uno quasi adpectu, omnia comprehendebat. Quod eo facilius erat, quia plerumque tres eiusdem rationis atque argumenti quaestiones se inuicem excipiebant, quarum quaelibet augendae perspicuitati aptissima inueniebatur. Deinde, *cuius confirmandi causa quaestiones posuerat, id simile*

simile erat iis, quae, quasi non dubia, antea praemisserat. Hic mutus quaestionum antecedentium cum sequentibus consensus, mutuumque iularum vinculum, institutionis *Socraticae* non minus interfuit. Quid enim prodest, aduersariam antea nobis aliquid largitum esse, si ei dissimile est id, cuius causa illud concedi primum volumus? error in concludendo, qui dicitur fallacia parium non parium, aut consequentis, statim animaduertitur, simulac disparia inuicem contuleris. Itaque ne minimum quidem ex quaestionibus, fundamenti loco positis, commodum habuisset *Socrates*, nisi cum ipsa doctrina, cuius cognitione hominum animos imbuere constituerat, arctissimo vinculo, maximaque similitudine fuissent coniunctae. Tertio denique, hanc curam adhibebat, *ne quis intelligeret, quo spectarent illae quaestiones, et ad quem exitum essent peruenturae.* Sententiae eius qui non erat addictus, si vidisset, eam rem, quae sibi displiceret, simulatque illi, quae primo rogata erat, assensisset, necessario esse concedendam, aut non respondendo colloquii finem fecisset, aut male respondendo persuasionis laborem auxisset. Imprudens igitur ab eo, quod concesserat, ad id, quod concedere nolebat, deducendus erat. Videas igitur, hoc nominari meretur proprium quaestionibus *Socraticis*, erant nimirum per se concedendae, respondebant doctrinae, quam tradere decreuerat, et, ratione exitus, erant tectae atque absconditae. Unde vero ortae? a rebus, in communi usu vitae quotidianae versantibus, quae similes, aut dissimiles, aut contrariae essent rei tractandae. Hinc maxime utebatur collationibus, sumtis a rebus, sensibus obnoxiiis, popularique intelligentiae subiectis, distributione, et exemplis, tam veris, quam fictis, quae rei condendae aut perfecte, aut ex parte, similia erant. Dissimilia si elegerat, genere, modo, tempore, et loco, a re praesente erant remota. Opponebat contraria, quae, iuxta se posita, magis eluerebant. Progrediebatur a maioribus ad minora, aut a minoribus ad maiora. Nonnunquam sale quodam ironiae, quae nihil habebat irrisionis, sed contra suauitatis plurimum, quaestiones condiebat — sed haec sufficiant ad exprimendam *Socratis* imaginem, ne Apelles peccasse me dicat, cum non senserim; quid esset satis!

Quoniam vero et mihi idem accidere potest, quod *Cicero* eodem loco sibi euenturum suspicatur, nimirum, ut admiranda *Socratis* institutio ratio, nisi exempla subiecero, quibus veritas huius descriptionis luculentissime appareat, minus plane, aut parum perspicue a me proposita videatur, p'uribus, e *Xenophontis* memorabilibus *Socratis* dictis, collustrabo omnia, quae ob-

B

fcuri-

securitatis speciem adhuc habeant, ut illis satisfaciam, qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, nisi demonstratum sit, nequeant cognoscere. Sed hunc dilectum mihi perdifficilem fuisse, candide profiteor, partim, quia *Xenophontis* dicendi genus tam venustum, tamque conditum Attico melle ab unoquoque graecarum literarum suauitatis aequo iudice existimatur, ut ubique locorum Musae voce locutus videatur, utque difficile sit dictu, quod caput in explicanda *Socratis* disciplina alteri sit praefendum, partim, quia semper mihi timendum est, ne, ob tam ingentem ingeniorum diuersitatem, a qua multum pendet perspicuitas, in eligendo displiceam, cum alii alios locos, ad collustrandum fortasse aptiores, seceuisissent. Age tamen, timore hoc deposito, accuratiori animi intentione perpendamus duos locos, ubi *Socrates* de prouidentia diuina, lib. I, 4. et de diligendis atque conciliandis amicis, lib. II, 6. disserit. Prior locus, quocum is comparetur, qui legitur lib. IV, 3. valde egregius et venustus est; hinc *Cicero*, qui, praeter *Euripidem*, et *Demosthenem*, *Xenophontem* nostrum omnium maximi faciebat, illumque totum imbiberat, multa ex hoc loco transfudit in libros de natura Deorum, in primis in librum secundum huius scripti. *Xenophon* hoc in capite animum ad id appellere conluit, quo *Socratem* ab illorum malitia defenderet, qui non erubescerent, eius nomini hanc maculam adspargere, ut impudentissima ratione publice contenderent, *Socratem* quidem in eo omnium optime laborasse, ut hominum animos ad virtutem impelleret, illius tamen institutionem tam imperfectam, tamque mancam fuisse, ut auditores eius in exercenda virtute parum proficerent. Stupidos sane homines! quasi optimus magister plus possit, quam *impellere!* transeant! Narrat igitur *Xenophon* colloquium, quod *Socrates* cum *Aristodemum* de summo Numine, eiusque prouida cura, instituit, ut iudicari possit, quanta fide, quantoque studio amicos non modo ad virtutis amorem, sed etiam exercitationem, allegerit. *Aristodemum* nimirum Diis nulla sacrificia offerre, neque, si quid eorum, quorum euentus incertus sit, molitur, diuinatione uti, sed potius omnes illos, qui talia curent, risui atque ludibrio habere, animaduertent. Hinc in dialogo praesente operam dedit, illum ut ad sanioerem cognitionem traduceret. Sed persuasurus illi, Deum esse, cuius prouidentia omnia regantur, eumque, quia omnibus rebus prospiciat, sancte esse colendum, argumenta, a *formatione* et *conseruatione* hominum desumpta, non sic profert, ut grauitatis philosophicae speciem habeant, sed, discipuli personam sustinens, multo faciliori simpliciorique ratione *Aristodemum* captando fudet. Praemunit hanc

hanc quaestionem: *suntne homines, quos, ob sapientiam, magni facias?* haec quaestio nonne facillima et leuissima videtur? num ad illam soluendam omnes animi vires erant intendendae? nonne statim erat concedenda, si modo *Aristodemus* in eo cum *Socrate*, et reliquis omnibus hominibus, consentiret, sapientiam plurimum conferre ad augendam hominis praeslantiam? nonne cum ipsa doctrina, quam in praesenti tradere *Socrates* sibi proposuerat, erat coniuncta? Deus, ob sapientiam in gubernandis rebus humanis, est colendus; quare? quia homines, sapientiae laudem consecuti, magni aestimantur. Nonne porro tam tecta, tamque abscondita est, ut nemo, nisi qui argumentum huius colloqui antea intellexerit, videat, quorsum spectet? unde denique est orta? a re, sensuum ope percipienda, ab exemplo, sed ita, ut a minori ad maius efcendat. *ARISTODEMVS statim concedebat hanc quaestionem. et, postquam, rogatus a SOCRATE nonnullos viros, quos magna obseruantia dignos censbat, HOMERVM, MENALIPPIDEM, SOPHOCLEM, POLYCTETVM, et ZEUXIN, nominauerat, SOCRATES sic pergit: quos artifices pluris putas, num illos, qui simulacra fingunt, mente, et facultate mouendi carentia, an, qui talia conficiunt, quae mente, et viribus agendi sunt praedita?* haec quaestio nata est ex *Aristodemi* responsione. *Polycletus* enim, et *Zeuxis* erant artifices. Sic prima quaestio, de hominibus in uniuersum agens, transit ad illorum formam, ut ad Deum, summum artificem, facilior reddatur accommodatio. Nonne haec quaestio eiusdem est indolis, ac praecedens? tam facilis est responsio, ut insanientis fit, illam nescire; ipsa quaestione iam continetur. *Aristodemus* quoque tam emunctae naris est, ut odoretur, sed hac ratione, ut addat: *si talia simulacra non casu quodam, sed studio atque consilio artificum sint orta.* Qua ex responsione *Socrates* statim tertiam elicit quaestionem: *rerum, quae cernuntur, tanta est varietas, ut aliarum ratio, cur adsint, indicari nequeat, aliarum vero utilitas extra omnem dubitationem sit posita, quas igitur harum rerum censet opera fortunae, quas vero prudentiae?* praetermittam hic omnia, quae haec quaestio cum duabus antecedentibus habet communia, ne fatietatem afferant; ea sola monebo, quae huic sunt propria. Primum miror *Socratis* sagacitatem, qua suspicatur, *Aristodemum* hac opinione captum teneri, omnia fortuito, et casu quodam esse orta, neutiquam vero a Deo formata: hinc quaerit ex eo, quas notiones rerum, temere et prouidenter formatarum, sibi fingat? sic aperit fontem erroris, sic perquirat latebras! deinde, in proxime antecedente quaestione locutus erat de simulacris; iam vero differit

de operibus: quam occulta igitur ratione ad ipsum colloquii argumentum propior accedit! interim *Aristodemus* non dubitat, *quin illa opera omni prudentia sint elaborata, quae utilitatem afferant*, quo factio *Socrates*, ope distributionis, incipit, corporis humani fabricam atque compositionem tam venuste, tamque ornate, in frequentissimis et maxime insignibus translationibus describere, (qua de causa etiam a *Longino* laudatur *πρὸς ἑρμ.* l. 32.) ut, eum singulae corporis humani partes, et singula membra, optima ratione, maximeque cura sint ordinata, exinde comprobet, corporis humani formationem opus esse summae prudentiae. Cui descriptioni debitam admirationem recufare non potest *Aristodemus*, fatetur potius, hoc esse opificium prudentis, et animantium cupidi artificis. Quantum est, quod iam largiatur *Socrati*! Sed hic optimus scholae magister nondum acquiescit, premit *Aristodemum* noua quaestione. *Quid, inquit, de eo censes, quod ab hoc artifice hominibus inritum atque innatum est studium procreandae subolis, quod matribus tenerimum educandorum liberorum amorem instillauit, quod hominibus ardentissimum vitae conseruandae desiderium, maximumque mortis fugiendae metum iniecit?* his igitur ad conseruationem progreditur, contra quae *Aristodemus* nihil habet, quod obiciat, praeter hoc, *se non cernere hos auctores, et dominos rerum creatarum, quemadmodum spectet humanorum operum artifices.* Nonne hoc argumentum contrarium tam absurdum, tamque absonum est, ut facile cuiquam aut risum excitet, aut stomachum moueat? neutrum vero *Socrati*. Summa lenitate et mansuetudine sic remouet: *tu non vides animam, qui tamen dominus est corporis: num igitur exinde colligere tibi licet, omnes actiones tuas non a ratione, sed casu quodam, proficisci?* Hic nulla obiurgatio, nulla reprehensio, nulla irrisio! ope similitudinis obiectionem soluit, et stultam, atque insulfam consequentiam, quam sentiat, ipsi *Aristodemo* relinquit. Eandem animi aequitatem in sequentibus responcionibus retinet, quas, licet sint eximiae, (maxime illa, quae praestantiam animi humani ex cognitione et cultu Dei comprobatur,) tamen, quia colustrandae *Socratis* disciplinae parum inferuire mihi videntur, silentio praetermittam, ad posteriorem locum progrediens. Priori, si ad suauitatem et perspicuitatem respexeris, non est postponendus: pari igitur beniuolentia eum ut mecum perpendas, Lector Humanissime, id est, quod abs TE peto. Loquitur *Socrates* cum *Critobulo* de egregiis virtutibus, quibus ornati esse debeant illi, quorum nouae amicitiae indulgere constituerimus, et de medijs, contrahendae cum illis amicitiae. Disserens de priori, non ieiuna, et subtili ratione praedicat indolem virtutum, quarum in eligendis amicitijs habenda

sit

fit ratio, nedum recenſet illas. Sex quaefiones ſoluendas *Critobulo* proponit, quarum quaelibet deſcriptionem continet hominis cuiuſdam, eo conſilio, ut *Critobulus* dicat, num eundem amicum ſibi optet? omnes vero hae deſcriptiones imagines tam fordidas, tamque deteſtandas exprimunt, ut *Critobulus* non poſſit non negare, ſe unquam talium hominum amicitiam ſibi eſſe conciliaturum. Unde igitur ſunt ortae? a vitiis contrariis, quae naturae tam parum honeſtae, tamque turpis ſunt, ut quilibet iisdem conſpurcatus non ſolum in amicorum numerum non recipiat, ſed etiam ſtudioſiſſime fugiat. Nonne igitur omnium harum quaefionum reſponſiones in promptu ſunt? nonne de eiuſmodi hominibus ſermo eſt, quorum amicitiam omnis liberalis atque ingenuus ſic auerſatur, ut ab illa abhorreat? quid igitur ſequitur? hoc, ut in dilectu amicorum inſtituendo eos nobis euocemus, qui oppoſitis virtutibus ſint praediti. Sed, *antequam ipſi familiariter uſus ero, quomodo ſcire poſſum, illos eſſe honeſtos?* Sic pergit *Critobulus*, et multum cautionis prodiſt haec quaefio: nam homines eo ſimulationis et diſſimulationis progredi ſolent, ut ab illis ſaepe decipiamur. *Socrates* igitur quomodo huic quaefioni occurrit, aſſert ſimilia. *Quemaadmodum*, inquit, *non illi fictori, equorumque domitori fidem habemus, qui operam atque induſtriam ſuam in formandis ſimulacris, et equis hominum uſui optandis, magna arrogancia, magnoque verborum ſtrepitu praedicat, ſed cuius dexteritatis atque praefertiae documenta oculis cernimus, ſic idem eſt faciendum in explorandis amicis. Qui enim de alio quodam, cui amicus fuit, bene meritus eſt, eum etiam aliis humanitatis officio praefiturum, veri ſimile putatur.* Sit tamen, ut ſic optime cognosci poſſit, quis virtutibus, ad amicitiae vinculum conſtringendum neceſſariis, vere ſit inſtructus, *quomodo illum nobis deuincire poſſumus?* quam admiranda, quamque iucunda eſt *Socratis* reſponſio! collatione ab arte venandi, et *ſeruorum* conditione deſumpta, negat, nos *curſu citato*, et *pedum velocitate*, ut *leporis*, eſſe conſecuturos, negat, amicos, *animum inſtar*, fraude et illecebris eſſe capiendos, aut, *ſeruorum*, in ergaſtulis coercentiorum, more, violententer retinendos. Quantam ſuauitatem, quamque perſpicuitatem, prior maxime ſimilitudo aſſert! certe tanta eſt, ut, quia toti capiti eſt intexta, praeter locum, qui legitur IV, 1. et Symp. IV, 57. nullum unquam deprehenderim, qui cum praefente poſſit comparari. Quoniam vero nil prodeſt, ſcire, quid fruſtra in arte tentetur, niſi intellexeris, quid proſpere tibi cedat, hinc ad ipſa amicitiae contrahendae media progreditur. Quae vero haec ſunt? qua ratione a *Socrate* commendantur? primum eſt

est prudens et iusta virtutum illorum, quos nobis amicos cupiamus, aestimatio, quam Sirenum exemplo collustrat, quae Ulyssi tantum, non reliquis etiam hominibus, acclamasse ab Homero dicuntur: *age, accedas, magnum decus Graeciae!* immoderatae et iniustae laudes blanditarum, aut irrisionis speciem habent. Alterum medium est *animus*, promptus ad solvenda amicitiae officia, qui in exemplis *Periclis* et *Themistoclis* a *Socrate* redditur conspicuus. Tertium (omittam enim hic nonnulla, quae cognoscendae *Socratis* disciplinae parum lucis afferre videntur,) est *animus*, ab omni violentia in alios exercenda, remotus, quem *Scyllae* rapacitate, et Sirenum humanitate, tanquam exemplis sibi contrariis, describit. Quartum denique medium, quod *Critobulo* suadet, versatur in eo, ut ipse honestati studeat, omnesque animi vires ad id intendat, ut, *qualis haberi velit, talis sit*. Hic locus certe unus praeflantissimorum est, quo *Socratis* disciplina luculentissime explicari potest. Ope suavissimae ironiae, quae latet in verbo accusare, sic incipit: *si amicitiae hominis cuiusdam desiderio teneris, opus est, ut permittas, te apud illum a me hoc nomine accusari, ut dicam, te illum plurimum facere, eiusque virtutibus sic esse permotum, ut eius amicitiam optes, te amicorum curam maxime sollicitam gerere, te non minorem ex illorum rebus gestis laetitiam percipere, quam si ipse suscepisses, neque minori voluptate ex illorum salute frui, quam e tua, praecipue te esse persuasum, hominem liberalem atque ingenium decere, amicos beneficiis superare.* *Critobulus* de tali accusatione, quam *Socrates* vocauerat, in magnam admirationem abreptus, omnia, inquit, quaecumque velis, de me dicere, tibi sunt permissa. Cui *Socrates*, minime, respondet, nam in sancienda amicitia opus est, ut vera de te praedicem. Quod ut intelligat, utitur similitudine, qua amicitiam cum nuptiis confert, quibus in conciliandis, id quod *Aspasia* quondam dixerit, omnes illi feliciter successum sint habituri, qui verum profiteantur de iis hominibus, quos matrimonio coniungere velint, cum contra (nam statim addere solet contrarium) omnes illi odio digni putentur, qui tales falsis laudibus antea extulerint. Qua responsione cum non minuisset, sed potius auxisset *Critobuli* admirationem, qui, virtutes si haberent, non indigere se *Socratis* commendatione, sed sibi soli, ad aliorum animos capiendos, sufficere putabat, triplici exemplo, ex usu quotidiano derivato, comprobat, quam parum *Critobulo* prodesset, illum si maioribus laudibus, quam quibus dignus esset, erga alios ornasset. *Nauculatori*, inquit, si dixissem, te rei nauticae miram cognitionem esse adeptum, isque laudibus meis persuasus, navem guber-

gubernandam tibi commississet, nonne summum vitae periculum oppeteres? aut, si sermonibus divulgasset, te rei militaris et civilis esse periculosissimum, ita, ut civitas, falsis his laudibus permota, summos honores in te conferret, nonne et te, et ipsam rempublicam, in praesentissimum deducerem periculum? si denique amitorum meorum cuidam fidem fecissem, in rerum domesticarum scientia esse te versatissimum, ita, ut fidei curaeque tuae omnia sua traderet, nonne bona eius sic depravares et corrumperes, ut risui atque ludibrio te exponeres? Quibus omnibus tandem conficit Socrates, quod tanquam quantum amicitiae contrahendae medium sumserat, nimirum opus esse, ut, quia haec omnium brevissima, tutissima, et amoenissima gloriae comparandae via putetur, qualis aestimari velit, talis vere inveniatur. Quas illecebras, quae incantamenta, et quasi veneficia habet hic locus! non possum non illum in transitu commendare BASEDOVIO meo! notes igitur, VIR SVMME, deliciisque tuis annumeres hunc locum! sed, quia literis graecis non adeo multum tribuisti, ut iudicare posses, num mentem Socratis recte transfulerim, evoluas, quaeſo, Ciceronem de Off. II, 12. et habebis eundem locum, aut legas Horatium I, ep. 16, vers. 17. ubi eadem, quae Socrates, sentit, aut, quod omnium optimum erit, consulas Phaedrum, dicentem: virtutis expers, verbis iactans gloriam, IGNOTOS fallit, NOTIS est derisui!

Haec ad collustrandam Socratis disciplinam multum conferent, plura qui desiderat, illi commendo e libro II. eiusdem auctoris caput 2, 3, et 6. e libro III, caput 6, et 7. e libro IV, caput 4, et 5. Iam qua oratione potero satis exprimere commoda, ex hae disciplina redundantia? utinam omnia, quae pro illa augenda dici queant, tanta verborum et gravitate et suavitate complecti possim, ut nemo illorum, qui iuventuti ad verae felicitatis viam ducendae (hic enim unus, isque magnus, muneris nostri scholastici finis est) aliquando inferuire atque consulere constituerint, quorumque oculis subitici huic prolusioni meae contigerit, nisi, praestantissimae huius instituendi rationis captus irretitusque amore, a lectione huius libelli discedat! Sed licet hoc in hanc ingenii mei orationisque tenuitatem caderet, tamen, quoniam in antecedentibus, ex improvviso, tam copiosus fui, ut attentione illorum, si magnam ubertatem, magnamque verborum profusionem hic quoque sequerer, facile abusus viderer, omnia, quam brevissime fieri poterit, dicam. Utilitas huius disciplinae Socraticae tam ipsi magistro, quam discipulo, est expectanda. Iam primum, magister servat discipulo-
rum

rum attentionem. Iuvenes, quod neminem fugit, non tantae sunt grauitatis atque feueritatis, ut animum, animo non distracto, uni rei satis diu intantum et quasi infixum habeant. Aetatis leuitas et negligentia saepe committit, ut animus a re praesente sensim auocetur. Corporis oculi saepe non sunt a magistro deflexi, ut ipsi operam dare, et ab ore eius pendere videantur discipuli, nihilo tamen minus animus illorum in longe alias res, saepe haud utiles, excurrere solet. Una igitur orationis series, qua discipulo nimium animi relaxandi conceditur otium, plus minuit, quam auget attentionem, Socratis vero docendi ratio semper postulat animi, quae dicitur, praesentiam. Opus est, ut discipulus omnes animi vires colligat, ne responsionis peruerfitate ignorantiae documentum exhibeat, quae, quo facilioris indaginis fuerit argumentum quaestionis Socraticae, eo maiori notet ignominia necesse est. Porro, sic melius explorantur ingenia. Difficultatem, in inuestigandis iuuenum ingenii dotibus, si tantum vere intelligunt, qui in scholis publicis iam aliquot annos occupati sunt. Dici vix potest, quanta saepe subtilitate, quanto iudicii acumine, quantaque ingenii celeritate a magistro sit instituenta haec inuestigatio! ego alium nonnunquam dolueram iuuenem, omnemque de illo spem amiseram, quia nulli rei discendae minus, quam bonis literis tractandis, natus dicebatur, de alio vero, in quem natura dotes suas eximias effudisse praedicabatur, maximam spem conceperam, sed propria experientia, ipso usu, probe intellexi, quam parum fiduciae in his iudiciis, siue ex imprudentia, siue ex suaui insomnio, et vanae gloriolae cupiditate ortis, sit ponendum. Hoc potius agendum est, ut ipse magister, quae bonitas et facultas ingenii adfit, sollicite iudicet, ne hebetes et stupidi, semper inuiti, et reluctantes, ad literas trahantur et protrudantur, alii vero, magna ingenii felicitate, occulta tamen, neque omnibus conspicua, praediti, ad illiberalitatem seruilesque fordes abiciantur et repellantur. Huic vero ingeniorum cognitioni quantopere consulat disciplina Socratica, verbis satis exprimi nequit. Iam ponit magister primam quaestionem, et discipulum illam aut recte soluit, aut responsionem modo tangit, aut plane ignorat. Quantum est, quod iam elucet! sed fingas, discipulum aut primae quaestioni non satisfecisse, aut illam omnino non percepisse, quid tunc temporis magister Socraticus? statim alias quaestiones, ad rem tradendam non proxime spectantes, in promptu habet, ut exploret, discipulum, illarum ope, ad responsionem, quae omnium prima fuisset, duci possit, an non? Quid denique magistro incumbaris est, voluptate, qua e discipulo fit doctor? Ego nunquam negabo, labo-

laboriosam docendi per multas quotidie horas provinciam magnam habere suavitatem atque dulcedinem, ortam ex ipsis rebus, in quibus tradendis versari debeat doctrina scholastica. Quid enim pulchrius, quid iucundius, quid suavius est, auctoribus antiquitatis praestantissimis, disciplinisque liberalibus? nonne in iis verissimus humanitatis cibus est? sed credas mihi, qui hoc, non dum expertus, nescias, magnam ad hanc muneris scholastici suavitatem, de praeter illam ingeniorum diversitatem, fieri accessionem hac voluptate, de qua iam sermo est. *Socratis* disciplinam qui sequitur, magistri persona de qua iam sermo est, et dissimulans veram rei tractandae cognitionem, varia posita, discipulum agit, et dissimulans veram rei tractandae cognitionem, varia quaerit ex fidei suae commisso, quasi ad accuratiorem intelligentiam perveniret, ut mens in rectam viam deduci desideret. Quam suavis iam per se reperitur haec personarum mutatio! nonne lusum atque fabulam cernere tibi videris? age vero, discipulus si in dies maiora incrementa capit, ut magistri quaestionibus semper melius et perfectius satisfaciatur, putas doctoris laetitiam de tali discipulo minorem esse, laetitia agricolae de messe, ardentem sperata? Satis haec de commodis, quae magistro affert *Socratis* formandi ratio: perpendas nunc illa, quae in discipulum redundant. *Auget discendi studium, atque gaudium, cum illo coniunctum.* Iuvenes *sensim* perducuntur ad verum, nihil praetermittitur, unde, quod proxime sequitur, intelligi possit, non opus est, ut mens, in cogitando, ab altero extremo ad alterum profiliat, sed lente progreditur: finis denique atque exitus quaestionum ignoratur, ita, ut haec instituendi ratio cum itinere videatur comparanda, cuius molestia atque longitudo, amici sermonum utilissimorum suavitate, sic tibi minuta est, ut gitato, amici sermonum utilissimorum suavitate, sic tibi minuta est, ut metam itineris prius contigisse te crederes. Quanta igitur literarum colendarum cupiditate incenditur iuuenis, omnes si difficultates atque salebras tam facile, tamque iucunde superarit! sed non solum *sensim* intellexit verum, ipse potius se illud indagasse putat. Solis responsionibus suis, nequaquam pro vero magistri quaestionibus, hoc tribuit, quod veri investigationi ipsi tam pro sperare cessit: et quanto exinde perfuit gaudium! honesta ambitione (quae alenda, non opprimenda est) incitatus, de veri cognitione triumphat, et cum fiducia quadam optima quaevis de futuris laboribus sperat. Deinde, *delectantur iuvenes inductionis imaginibus, et mirum in modum accuuntur ingenia.* Omnis cognitio, quae a sensibus adiuuatur, non solum intellectu redditur facilior, sed etiam multum suavitatis accipit. Similitudo enim, quae imaginem inter, et rem illustrandam intercedit, hoc efficit, ut res ipsa cum

imagine quasi ante oculos versetur, et a proprietatibus huius imaginis mutuam in se recipiat iucunditatem. Imaginandi facultas, quae in iuuentute vires suas praecipue exferit, menti succurrit in perquirenda haec similitudine, et frequens illius exercitatio ingenio largitur agilitatem quandam, ut qualibet occasione rem obscuram ad sensus reuocet, reuocatamque clariori ratione percipiat. Quid denique dicam *de populari docendi modo, qui, in usum futurum, non satis mature discipulo commendari potest?* Popularitas, omni subtilitati umbratili atque siccitati inimica, cum non multi sint, qui, viuido et bono ingenio praediti, limatoris inuestigationis difficultatem sustineant, et suauitatem aliquam a copia, varietate, et condimentis addit, ut doctrina unicuique prompta sit atque exposita, neque ullus ab illa cognoscenda et admandanda excludatur et prohibeatur. Ex quo fonte, eoque purissimo, facilius hauriri potest haec optima docentis virtus? haec perspicuitatis, venustatisque mater, eaque amantissima, a quo nata et procreata est? nonne *Socratis* disciplina est, quae orationis munditie placeat? quae rerum claritate luceat? quae denique copia, et suauitate quadam, ac lepore in verbis atque sententiis delectet? O faueatis illi, *Amici*, qui bonae iuuentuti aliquando vos totos consecrare constitueritis! sequamini illam! quantum est, quod non sola aetas vestra, sed etiam posteritas a tali institutione sperare possit!

Plura quo minus, ad illam commendandam, in lucem adspectumque iam emitantur, fines et angustiae prolusionis impediunt. Hoc unum adhuc addere liceat, eandem *Socratis* viam, sed veluti in transcurso, scholis esse praescriptam, in der Verordnung für die Schulen des Hochstifts Münster 1776. fol. Qui quidem liber, sicut plura habet valde frugifera, ita prudenter animaduertit, parum prodesse omnia scholarum, in melius formandarum, consilia, nisi docendi via BREVIOR IVCVNDIORQUE monstraretur. Alios res tractare, a captu iuuenili nimis remotas, quarum difficultate discipuli mox deterreantur, alios in verbis solis haerere, ad fastidium repetitis, alios oratione continente negligentiam alere, nulla attentionis habita ratione. Quibus malis solum succurri, putat, posse, si quaestionibus responsio subleuetur, mutuaque animaduersione magister cum disciplinae alumno certet, donec, diu multumque iactati, remis velis in portum inuehantur.

Ad propositum venio. Indicenda est solemnis discipulorum in arte oratoria exercitatio, qua non solum atrocissimae diuini Seruatoris perfectiones,

sed

sed *Schroederi* etiam in Lyceum Torgauense beneficia, pia grataque mente colantur. Dicent igitur, non, quo sedent, ordine

- I. *Fridericus Gottlieb Merkelius*, Liebenwerdensis-Misnicus, de magnitudine cruciatuum Christi, pignore magnitudinis gloriae nostrae. Orat. lat.
- II. *Michaelis Gottfried Koerbiz*, Torgauensis, de amantissima Christi animi indole, ex summo, mortis imminentis, terrore. Orat. german.
- III. *Traugott Lebrecht Freund*, Zschackauensis-Misnicus, de grauiissimis afflicti Christiani consolationibus, ex contemplatione perpeffionum Seruatoris. Orat. german.
- IV. *Joannus Christianus Wagnerus*, Neidensis-Misnicus, de sepultura Christi, cui statui eius sit annumeranda? Orat. lat.

Quorum orationes ut PATRONI et FAVTORES Lycei, cras, audita hora IV. sacris finitis, beniuole audiant, humanissime oro rogoque.
P.P. Torgauiae, a. d. VI. Kalend. April. A. I. S. MDCCCLXXVII.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17






Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

B.I.G.



60
RECEPTOR
ATICVS.

COLVSIO

QVA

IV. IUVENVM IN DICENDO
NEM BENIVOLE AVDIENDAM

ANISSIME INVITAT

HENRICVS SINTENIS

ORGAVIENSIS RECTOR.



LIPSIÆ,

FRIDER. GOTTH. IACOBÆER,

MDCCLXXVII.

mm